

CIRCARIA SCOTIAE

Ordo noster ingressus est regnum Scotiae nequaquam anno 1125 per fundationem abbatiae de „Kalcou“, id est Kelso, ut asserit annalista noster Hugo¹⁾, sed versus annum 1150 vel paulo post. Quaenam fundatio reapse sit prior, Soulseat vel Dryburgh, non est certum. Relationem sat incertam de fundatione Viridis Stagni, quae videtur deberi, ut postmodum illa Candidae Casae, Fergo domino de Galloway, vide infra suo loco. Censemus tamen traditionem Ordinis, supponentem Viride Stagnum fuisse filiam Praemonstrati et ante abbatiam Dryburgensem fundatum, esse probabilem. Dein fundatae sunt in fine saeculi XII et ineunte saeculo sequenti, in extremo meridie regni, tres aliae domus: Holywood, celebris Candida Casa, et Tongeland. Ultima autem fundatio in Scotia, Fearn, in extremo aquilone longe ab aliis canoniis distans, coepit esse videtur circa annum 1220.

Huius Circariae origines tenebris sunt obvolutae. Catalogi SLV expresse eam quidem adducunt, sed complectitur apud illos praeter Ferniam tantum aliqua monasteria Hibernica, quibus scriptores catalogorum, geographiae prorsus ignari, alia, in Polonia et in Gallia sita adiunixerunt. Quae omnia expresse referimus infra sub Praetermissis. Notandum est, Hiberniam tunc temporis saltem in continente hinc inde fuisse designatam tamquam „Scocia“. Videtur ergo haec Circaria constitisse Fernia sola, et monasteriis Hiberniae. Quae unio insolita ultra mare, et haesitatio Fernensium, se aggregandi canoniis Scotiae meridionalis, sic sunt explicandae: Fearn erat linguae et culturae celticae, dum illae concordarent Anglis quoad multa. Haud mirum ergo, quod abbatiae austri ab initio pertinuerint ad Circariam Angliae Borealis, et quod Fernia magis inclinaverit ad Hibernos congeniales, quam ad matrem suam Whithorn, quae illi, apparenter propter hoc, plenam libertatem usque ad medium saeculum XIV concedere noluit. Evidens est enim, Ordinem nostrum in Scotia pariter ac in Hibernia, in manibus reformatorum et principum,

¹⁾ Quac fundatio facta est pro monachis O. S. B., vide infra sub „Praetermissis“



fuisse instrumentum habile ad inducendum Celtas, ut ritum ordinemque romanum assumerent; et quia haec „romanizatio“ peracta est per Anglo-normannos, ortae sunt ex hoc dissidentiae nationales.

Cum anno 1290 erecta esset propria Circaria Hiberniae, Circaria Scotiae disparet, remansitque sola Fernia in catalogis tunc redactis (WHTA), et quidem sub titulo: „in provincia Sti. Andreae“. Bis in hisce catalogis occurrit: altera vice enim modo vix allato, altera vero inserta tamquam „Nova Ferina“ inter canonias Circariae Angliae Borealis. Catalogus P habet idem, sed semel coniungit Ferniam cum monasteriis Circariae Slaviae in phantastica illa „Circariam Sti. Andreane et Sclavonie“, quod monstrum absque critica transsumpsit annalista noster Hugo. Duplex insertio Ferniae innuit, eam ab una Circaria ad aliam fuisse translatam, ut in „Conspectu praevio“ primi voluminis probavimus. Quaeritur, utrum a seiunctione monasteriorum Hiberniae (in fine saeculi XIII) usque ad aggregationem Ferniae ad Circariam Angliae Borealis (probabiliter maturo saeculo XIV) illa canonica fuerit absque ullo ligamine circariali, an sola formaverit propriam circariam, forte „Sti. Andreae“ nuncupatam? In fidem solius catalogi P, qui tamquam copia recentior manuscripti saeculi XIV haud nimii est valoris, hoc asserere non audemus. Sed „provincia“ illa Sti. Andreae, de qua loquuntur manuscripta originalia, grande manet enigma. Vox „provincia“ enim in nostris catalogis generatim non est synonymum pro „circaria“, sed stat pro metropoli, ad quem spectat dioecesis, in qua aliquod monasterium erat situm²⁾. Atqui metropolis scotica, St. Andrews, anno demum 1472 hac dignitate est aucta, et catalogi nostri redacti sunt longe prius. Ergo „provincia Sti. Andreae“ aut est designatio mere geographicæ pro regno Scotiae, quod habet illum apostolum in patronum, aut revera talis circaria extitit. Haud insolitum est enim, aliquam abbatiam solitarie sitam formare propriam circariam, quia et Circaria Livoniae una sola canonica constituit. Vix est credibile, hanc „Circariam Sti. Andreae“, si umquam extitit, nomen suum habuisse a dioecesi eiusdem nominis, longe a Fernia distante. Dryburgh, quae sola in illa est sita, in antiquissimis catalogis adnumeratur monasteriis „in regno Angliae sitis“, reliquæ canoniae in austro Scotiae inscribuntur „in Galloadia“.

Haec monasteria Scotiae meridionalis iam saeculo XII arcte erant connexa abbatiis Angliae. Anno 1192/93 abbas Dryburghensis interest capitulo nationali Circariarum Angliae, celebrato in Newhouse, praesidente abate Licquensi³⁾). Anno 1284 abbas de Newhouse peragit visita-

²⁾ Confer Baile Mor, in Circ. Hiberniae, Dioc. Meath, quod designatur a catalogis nostris ut situm in „provincia Almacana“, id est Armagh.

³⁾ Liber S. M. de Dryburgh, p. 72

fuisse instrumentum habile ad inducendum Celtas, ut ritum ordinemque romanum assumerent; et quia haec „romanizatio“ peracta est per Anglo-normannos, ortae sunt ex hoc dissidentiae nationales.

Cum anno 1290 erecta esset propria Circaria Hiberniae, Circaria Scotiae disparet, remansitque sola Fernia in catalogis tunc redactis (WHTA), et quidem sub titulo: „in provincia Sti. Andreae“. Bis in hisce catalogis occurrit: altera vice enim modo vix allato, altera vero inserta tamquam „Nova Ferina“ inter canonias Circariae Angliae Borealis. Catalogus P habet idem, sed semel coniungit Ferniam cum monasteriis Circariae Slaviae in phantastica illa „Circariam Sti. Andreane et Sclavonie“, quod monstrum absque critica transsumpsit annalista noster Hugo. Duplex insertio Ferniae innuit, eam ab una Circaria ad aliam fuisse translatam, ut in „Conspectu praevio“ primi voluminis probavimus. Quaeritur, utrum a sejunctione monasteriorum Hiberniae (in fine saeculi XIII) usque ad aggregationem Ferniae ad Circariam Angliae Borealis (probabiliter maturo saeculo XIV) illa canonia fuerit absque ullo ligamine circariali, an sola formaverit propriam circariam, forte „Sti. Andreae“ nuncupatam? In fidem solius catalogi P, qui tamquam copia recentior manuscripti saeculi XIV haud nimii est valoris, hoc asserere non audemus. Sed „provincia“ illa Sti. Andreae, de qua loquuntur manuscripta originalia, grande manet enigma. Vox „provincia“ enim in nostris catalogis generatim non est synonymum pro „circaria“, sed stat pro metropoli, ad quem spectat dioecesis, in qua aliquod monasterium erat situm²⁾. Atqui metropolis scotica, St. Andrews, anno demum 1472 hac dignitate est aucta, et catalogi nostri redacti sunt longe prius. Ergo „provincia Sti. Andreae“ aut est designatio mere geographicā pro regno Scotiae, quod habet illum apostolum in patronum, aut revera talis circaria extitit. Haud insolitum est enim, aliquam abbatiam solitarie sitam formare propriam circariam, quia et Circaria Livoniae una sola canonia constituit. Vix est credibile, hanc „Circariam Sti. Andreae“, si umquam extitit, nomen suum habuisse a dioecesi eiusdem nominis, longe a Fernia distante. Dryburgh, quae sola in illa est sita, in antiquissimis catalogis adnumeratur monasteriis „in regno Angliae sitis“, reliquae canoniae in austro Scotiae inscribuntur „in Ga-loadia“.

Haec monasteria Scotiae meridionalis iam saeculo XII arcte erant connexa abbatiis Angliae. Anno 1192/93 abbas Dryburghensis interest capitulo nationali Circariarum Angliae, celebrato in Newhouse, praesidente abate Liquensi³⁾. Anno 1284 abbas de Newhouse peragit visita-

²⁾ Confer Baile Mor, in Circ. Hiberniae, Dioc. Meath, quod designatur a catalogis nostris ut situm in „provincia Almacana“, id est Armagh.

³⁾ Liber S. M. de Dryburgh, p. 72

tionem abbatiarum Scotiae⁴⁾). Post aggregationem Ferniae ad Angliam Borealem, nulla extitit alia circaria in regno Scotiae. Tamen in decursu saeculi XIV, bello cum Anglis continuo furente, commercium abbatiarum Scotiae cum Anglis factum est irregulare, et postremo cessavit omnino. Num ligamen circariae, quo illis erant coniunctae, umquam de jure fuerit disruptum, et quando, cum certitudine dici nequit. Anno 1374 rex Angliae prohibuit abbati Alnicensi, quominus visitationem per abbatem Viridis Stagni, ab abate Generali ad hoc explicite deputati, toleraret⁵⁾). Anno 1414 visitatio omnium canoniarum Ordinis in Anglia, Wallia et Scotia, quadriennio ante a Summo Pontifice abbati Welbecensi imposta⁶⁾), in Scotia perficienda est non per abbatem quendam Anglum, sed per duo abbates Scotos, Dryburgensem scilicet et Sacriboscensem⁷⁾). Anno 1466 David Rallston, prior Dryburgensis, fit visitator Ordinis in Scotia ad decennium⁸⁾). Hoc tempore separatio de facto, forte etiam de jure, iam diu erat peracta inter Circarias Scotiae et Angliae. Acta enim Capitulorum Generalium ab anno 1498 semper loquuntur de „Circaria Scotiae“ tamquam sui juris⁹⁾). Possumus supponere, abbates Scotiae propter distantiam eorum iisdem dispensationibus esse gavisos quoad aditum Capituli Generalis, ac abbates Scandinaviae, Livoniae etc. A saeculo XIV relationes cum Praemonstrato diminuerunt, et postremo de facto cesserunt omnino. Abbates, ut in hoc tempore de more, omnia quae spectabant de jure ad competentiam Capituli Generalis, postulaverunt a Curia Romana, quae omnes dispensationes et privilegia facile concessit, et a qua nulla molesta visitatio erat metuenda.

Ineunte saeculo XVI, Capitulum Generale etiam in hac Circaria reformationem studuit imponere, et eius abbates ad solutionem talliarum, tam diu obsoletam, revocare. Capitulo Generali anni 1505, in quo de novis statutis et de reformatione peragenda tractabatur, interfuit Quintinus abbas de Soulseat. Praemonstratum semper Viride Stagnum habuit ut abbatiam antiquissimam et ideo primariam in Scotia, cuius ergo abbati et nunc hoc munus visitationis commisit, reliquos abbates Circariae declarans contumaces, quia etsi convocati, non comparuerant, nec suffi-

⁴⁾ *Cal. Pat. Rolls 1281/92*, p. 119

⁵⁾ *Cal. Close R. Edw. III V 32/33*, 151

⁶⁾ P. L. VI 76

⁷⁾ *Vat. Transscr. II* 67

⁸⁾ CAP nr. 145. Quod munus adeptus est per simoniam.

⁹⁾ Iure igitur merito hanc circariam, utut de facto a saeculo XIV, de iure a saeculo XV independentem, inserimus ab Anglia Boreali segregatam.

cienter se excusaverant¹⁰⁾.

Sed tunc statim exorta est discussio de primatu in Circaria tenendo. Prior Candidae Casae, unicus praelatus infulatus in Circaria, praesul unius ex ditissimis coenobiis regni, aegre tulit abbatem cuiusdam monasterii parvi et depauperati se praecedere. Anno 1506 Capitulum Generale „annuit concordiam factam inter abbatem Quintinum Sedis Animarum, et fratrem Henricum priorem Candidae Casae, videlicet quod amodo ipse prior usque ad revocationem Capituli Generalis sit visitator Circariae Scotiae, cum autoritate substituendi praedictum abbatem Quintinum“¹¹⁾. Anno sequenti Jacobus rex Scotiae scribit Abbati Generali: „Henricus prior Candidae Casae extorserat litteras a nobis, quibus suam domum apud Vestram Reverentiam commendaremus, ut primatum teneret in ordine intra regnum Scotiae, quem abbas de Soulseat, licet longe inferior, tunc obtinuerat. Nos autem omnia ad prudentiam archiepiscopi Sti. Andreae detulimus, qui nec Candidam Casam, nec Soulseat, sed Dryburgh primatum tenere praetendit...“¹²⁾. Nihilominus compromissum supradictum inter praeates Candidae Casae et Viridis Stagni mansit in vigore usque ad annum 1523. Tunc Capitulum Generale visitatorem nominavit abbatem Sacri Nemoris, quia iste tenaciter separationi ab Ordine a praelatis Circariae intentae restiterat¹³⁾. Quae machinatio praelatorum videtur fuisse attentata paulo post separationem Anglorum ab Ordine (1512), quia anno 1514 una voce inculpaverunt apud Capitulum Generale dictum Sacri Nemoris abbatem de criminibus diversis¹⁴⁾. Quae omnia fuisse calumniae ex animositate ortae, ex eo patet,

¹⁰⁾ Acta Cap. Laon p. 71. HUGO II 1120 erronee hunc abbatem nuncupat Eduardum. In Act. Cap. Gen. adduntur sequentia: „Fiat clausula specialis, quod abbates et religiosi amodo non utantur rochetis, nec biretis nigris vel coloratis, gerantque habitum candidum et honestum secundum ritum primitivum institutionis nostrae, et ad hoc compellantur per censuras“. — Notandum est, etiam Circarias Angliae dereliquisse habitum ordinis, sed eum reassumpsisse iam post medium saeculum XV. (P. L. V. 355)

¹¹⁾ Acta Cap. Gen. Laon p. 79

¹²⁾ G. GAIRDNER, Letters and Papers Richard III and Henry VII, London 1863, II 246

¹³⁾ Sic habet HUGO II 717/18, exaltans laudes abbatis Jacobi. Acta Cap. Gen., ut habentur Lauduni, ad annum 1523 tantum notant nominationem abbatis Sacri Nemoris in visitatorem, quod confirmatur usque ad annum 1531. Non elucet, de quo ex tribus abbatibus, hoc anno 1523 Holywood gubernantibus hic agatur. Si Hugo est credendum, agitur de abbat Welch, qui hoc ipso anno obiit, et ideo hoc suo munere — si umquam — nonnisi brevissime potuit fungi.

¹⁴⁾ Acta Cap. Gen. Laon p. 144

quod Capitulum, inquisitione peracta, illum videtur invenisse incolumem et omni fide dignum. Anno 1532, David Vaus, abbas Viridis Stagni, nominatus est Visitator a Capitulo Generali. Reformationem circariae tunc nondum vel partim tantum fuisse peractam, apparet ex supplicatione abbatis David, qua petit et accipit ab ipso rege adiutorium in hoc opere exsequendo, timebat enim oppositionem coabbatum¹⁵⁾.

Anno 1534 Acta Capituli ultima vice memorant monasteria Scotiae. Studia et scientiae in scoticis abbatiis magis videntur floruisse quam in anglis. Gloriantur enim nonnullis viris hac in re illustribus: Adam Scotus, et alii, forte etiam Strode et Joannes de Sacrobosco. De scholis vero et academiis in canoniis constitutis, de quibus, aliquomodo exaggregans solus refert Dempsterus, nil constat certi. In Scotia, ubi canonici regulares tantum, non autem monachi administraverunt ecclesias, etiam Ordo noster curam animarum exercuit in parochiis incorporatis. Sed factum est hoc irregulariter, praesertim saeculis XV et XVI, quia tunc Curia Romana provisionem omnium beneficiorum sibi reservans, ea promiscue etiam aliis sacerdotibus commisit. Accidit verbi gratia, quod Dominicanus quidam, cui data erat parochia ad Candidam Casam spectans, et „a canonicis Ord. Praem. administrari solita“, iussu Curiae in Ordinem nostrum esset recipiendus¹⁶⁾.

Systema commendarum in Scotia omnino aliter ac in aliis regnis se evolvit. Ad annum usque circiter 1400 abbatiae gaudebant iure liberae electionis, ut oportebat secundum statuta Ordinis. Ab hoc autem tempore Curia Romana sese immisicut in electionibus abbatum, omnes provisiones sibi reservans. Proh dolor, pluries ad hoc munus non vocavit regulares ex Ordine, sed viros Ordini alienos, episcopos iam pluribus beneficiis provisos, immo extraneos. Parili ratione ac in Hibernia, pluries Curia statuit hos „abbates“ designatos in Ordinem esse recipiendos. Ita recepit Andreas Lidderdale, sacerdos saecularis, abbatiam Dryburgensem anno 1482 pro tribus mensibus „tamquam in commendam, donec emitteret professionem“¹⁷⁾ — subintellige: ut hoc tempore elapso, posset haberi ut abbas regularis. Patet praxim huiusmodi regulari disciplinae fuisse valde nocivam.

¹⁵⁾ ibidem p. 274, et RSS II nr. 1349. Abbas David eodem anno 1532 obiit (confer supra abbatem Welch!).

¹⁶⁾ P. L. XIII 324. Idem accidit in Galway, vide infra apud Circ. Hiberniae

¹⁷⁾ P. L. XIII 811. Vide infra notam apud Dryburgh. — In Fearn vero paulo post Episcopus quidam obtinuit commendam a Curia per bullam subreptitiam, legitima electione regulari paulo ante facta. Abbas regularis debuit cedere, et intrusus praevaluit in perniciem abbatiae.

Haud mirum ergo, clerum Scoticum, ipsumque regem talia aegre tulisse. Ideo anno 1487, rex privilegium praesentandi a Curia postulavit et etiam obtinuit¹⁸⁾. Abhinc viguit commenda regia, quod systema in Scotia erat longe mitius, et minus odiosum, quam verbi gratia in Gallia vel in Italia. Abbates commendatarii generatim videntur fuisse recepti in Ordinem¹⁹⁾, et erant residentes. Separatio mensarum in Scotia iam invenitur saeculo XIV. Peculium, hic „portio“ appellatum, erat commune.

Ab anno 1513 circiter res regni coeperunt dilabi, ac cum eis et abbatiae. Substiterunt tamen diutius quam abbatiae Angliae. Anno 1560 quidem abolita est catholica religio in Scotia, sed monasteria non sunt suppressa. Prohibita est tamen admissio novitiorum, cessavit plus minusve vita regularis, poenis coerciti sunt illi religiosi, qui aperte novationibus restiterunt²⁰⁾. Multi canonici transierunt ad Protestantes, tamquam ministri uxorati novae fidei quiete praebendis suis ex bonis monasterii usque ad obitum gaudentes. Paulatim tantum communites sunt extinctae, immo anno 1585 invenimus adhuc superiores domuum, vel abbates commendatarios, qui „de consensu conventus“ diplomata signant, vel de bonis monasterii disponunt. Anno 1587, defunctis ultimis religiosis, illa adjudicantur corona, et subsistente corpore juridico monasterii, constituta sunt commendae haereditariae in familiis, vel episcoporum protestantium. Labente vero saeculo XVII, hoc ultimum residuum disparuit.

Ecclesia presbyteriana Scotiae postmodum vera rabie insaevit in omnia, quae veterem ecclesiam in mentem posset revocare, et ideo archivalia fere omnia perierunt. De tribus abbatiis Soulseat, Holywood et Tongland fere nihil nobis est relatum. Maior pars aedium disparuit. Supersunt tantum pulchrae ruinae in Dryburgh, ecclesia mutilata in Fearn, modica ruina in Whithorn, et parum quid in Tongland.

Historia monastica in Scotia est ager inexaratus. Deficiente autem documentatione, perpaucata tantum exarari possunt, praesertim quoad saecula XII/XIV. Post reformationem, Ordo in hoc regnum non est rever-

¹⁸⁾ THOMSON, Acts II 183. Cf. ad hoc R. K. HANNAY, *The Scottish Crown and the Papacy 1424/1560*, Edinbg. 1931

¹⁹⁾ Ita adhuc anno 1539 rex praesentat pro vacante prioratu Candidae Casae Malcolmum Fleming, decanum in Dunblane, petens pro eo privilegium, ut nonnisi post biennium habitum Ordinis assumere debeat (BREWER Lett. Henry VIII vol. XIV p. 8)

²⁰⁾ Concilium Ecclesiae Presbyterianae in Kelso anno 1569 convocavit duos religiosos Dryburgenses: „Dene (= Domus, quod est titulus canonicis competens in Scotia) James Jamesoun, et Dene Mungo Wilsoun“, propter persistentiam in fide catholica. (Reg. Privy Council Scotl., 1st. Ser. II 40)

Monasticon Praemonstratense, Editio Prima, Tomus II, 1952

sus. Circa annum 1745, William Grant, natione Scotus, et canonicus alicuius abbatiae Praemonstratensis in continente sitae, per multos annos missione inter catholicos in Strathavan, Banffshire, insudavit²¹⁾.

F O N T E S

- J. ANDERSON *Calendar of the Laing Charters 854/1837* (quorum originalia sunt in Edinburgh, University Library) Edinbg. 1899
A. O. ANDERSON *Early Sources of Scottish History*, 2 voll. ibidem 1922
A. I. CAMERON *The Apostolic Camera and Scottish Benefices 1418/88* (Univ. of St. Andrews Publ.) Oxford 1934
G. DONALDSON, *St. Andrews Formulare 1514/46*, 2 vols. Edinbg. 1944 (Stair Soc.)
IDEM, *Accounts of the Collectors of Thirds of Benefices 1561/72* (Publ. Scott. Hist. Soc. III, XLII) Edinbg. 1949
W. FRASER, *The Book of Caerlaverock*, Edinbg. 1873
W. GOODALL. *Joannis de Fordun Scotichronicon, cum Supplementis et Continuacione Walteri Boweri*, 2 vols. ibidem 1759
E. R. LINDSAY / A. I. CAMERON, *Calendar of Scottish Supplications to Rome 1418/22* (Publ. Scott. Hist. Soc. III, XXIII) Edinbg. 1934
J. STEVENSON, *Documents illustrative of the History of Scotland 1286/1306*, 2 voll. Edinbg. 1870 (de Ordine nostro I 129, II 59, 68, 70)
Th. THOMSON *Acts of the Parliament of Scotland*, 12 vols folio, 2 voll. Index Edinbg. 1814/75
Acc. Treas. *Accounts of Lord High Treasurer of Scotland* (Late XVth Cent.) 11 vols. Edinbg. 1877 sq.
C. S. P. *Calendar of State Papers relating to Scotland 1547/1603*, ed. J. BAIN, I 1547/63, Edinbg. 1898
Chron. Melrose *Chronicle of Melrose*, edd. A. O. ANDERSON, M. J. ANDERSON et W. C. DICKINSON, London 1936
Exch. R. *Exchequer Rolls of Scotland* (Rotuli Scaccarii Regum Scotorum) 23 vols., Edinbg. 1878/1908
Lib. Cart. *Liber Cartarum Sancte Crucis*, edd. Bannatyne Club, Edinbg. 1840
St. Cruc. *Liber Sancte Marie de Melrose*, edd. idem, ibidem 1837
RMS *Registrum Magni Sigilli Regum Scotorum*, voll. I—VI (1306/1609) Edinburgh 1882 sq.
RSS *Registrum Secreti Sigilli Regum Scotorum*, 3 voll. ibid. 1908/36
A. THEINER, *Vetera Monumenta Hibernorum et Scotorum historiam illustrantia*, Romae 1864

²¹⁾ *Scottish Catholic Directory* 1855

Monasticon Praemonstratense, Editio Prima, Tomus II, 1952

FONTES NONDUM PUBLICATI

- Cal. Chart. *Calendar of Charters and other Original Documents preserved in H. M. General Register House at Edinburgh*, 9 vols MS ibid.
- Vat. Trans-scr. *Vatican Transcripts*, 3 voll. — Item 1 vol. *Petitiones, 1437/65*, item 2 voll. *Dispensationes*. (MS General Reg. House Edinburgh)
- CASSILLIS *Cassillis Papers* (Regesta MS ibidem) et alia archiva familiarum nobilium, ut Buccleuch, Caerlaverock, Maxwells of Annandale et aliorum, quae partim tantum sunt publicata

LITTERATURA

- N. BACKMUND O. Praem., *The Premonstratensian Order in Scotland*, in: Innes Review 1952
- G. CHALMERS *Caledonia, or an Historical & Topographical Account of North Britain*, 2a ed., 7 vols. Paisley 1887/1902, Index ibid. 1902
- T. DEMPSTER *Historia Ecclesiastica Gentis Scotorum Libri XIX*, Bononiae 1627, 2a ed., Opera D. IRVING, 2 vols Edinburgh 1829
- J. F. S. GORDON, *Ecclesiastical Chronicle for Scotland*, 4 vols, III: *Monasticon Scotiae*, Glasgow 1867
- F. GROOME, *Ordnance Gazetteer of Scotland. A Survey of Scottish Topography* 3 vols. London 1893
- R. KEITH, *An Historical Catalogue... also an Account of all the Religious Houses, the were in Scotland at the Time of Reformation*. Edinburgh 1824
- D. MAC GIBBON / T. ROSS, *Ecclesiastical Architecture of Scotland*. 3 voll. Edinburgh 1896
- P. H. MAC KERLIE, *History of the Lands and their Owners in Galloway*, 5 vols Edinburgh 1870/79
- H. MAXWELL, *History of Dumfries and Galloway*, Edinbg. 1896
- A. MITCHELL, *A Contribution to the Bibliography of Scottish Topography*, 2 voll. Edinbg. 1917
- J. SLEZER, *Theatrum Scotiae*, London 1693
- A. SYMSON, *A Large Description of Galloway*. 1684, 2a ed. Edinbg. 1823
- Ch. S. TERRY, *A Catalogue of the Publications of Scottish Historical and Kindred Clubs and Societies*, Glasgow 1909
- W. B. TURNBULL, *Fragmenta Scoto-Monastica*, Edinburgh 1842
- M. E. C. WALCOTT, *Scotimonasticon. The Ancient Church of Scotland*. London 1874
- R. Com. Hist Royal Commission of Historical Monuments. *An Inventory*. London

Mon.

Monasticon Praemonstratense, Editio Prima, Tomus II, 1952

Innes Rev. *The Innes Review*, Glasgow
Proc. Soc. *Proceedings of the Society of Antiquaries of Scotland*
Ant. Scot. *TDumfrGall Transactions of the Dumfriesshire and Galloway History and Antiquarian Society*, Dumfries 18 . . sq.
Trans. Scott. *Proceedings of the Scottish Ecclesiastical Society*, Edinburgh
Eccl. Soc.

Nondum publicatum:

G. HUTTON, *Collection of the Shires. Monasticon Scotiae*. 13 vols.
MS National Library Edinburgh

Confer apud Circ. Angliae:

omnes fere publicationes P. R. O., praesertim P. L., Brewer Lett. Henry VIII, insuper Beck, Colvin, Cram, Dugdale, CAP, Grose, HMCR, Geddes, Hall, Ker, Kirkfleet, Nichols, Reg. Archb. York, Val. Eccl.

VISITATORES CIRCARIAE SCOTIAE SAEC. XVI.

(Acta Cap. Gen. Laon)

Abbas Generalis 1502—05

Abbas de Soulseat 1505

Prior de Whithorn cum abbatte de Soulseat 1506—15

Prior de Whithorn 1515—23

Abbas Sacri Nemoris 1523 (—32?)

Abbas de Soulseat 1532 (—34)

Prior de Whithorn 1534 ad annum

Deinceps nominaliter Abbas Generalis, vel Prior Collegii Parisiensis, vel alius praelatus gallicus titulum huius muneris gessit, munus tamen numquam exercuit.

